DE

ELOCUTIONE

TACITI.

SCRIPSIT

IUL. AEMIL. WERNICKE,
Philosophiae Doctor, in regio Gymnasio Thorunensi
superiorum ordinum praeceptor.

THORUNI, MDCCCXXIX.
IMPRESSUM TYPIS GRUENAUERIANIS.

6

Quum admodum diversi sunt commentarii, qui veterum libris explicandis scribuntur, tum unum illorum genus inprimis utile est discendi cupidis, quod praelectionum apud auditores habitarum rationem imitatur.

Fr. Aug. Wolf. Anal. Liter. II p. 277.

Quamvis Tacitus rerum romanarum auctorum ingenio et arte scribendi facile princeps, interpretes doctrina et sagacitate praecellentes nactus sit, et Im. Bekkerus nuper tantum de eo meruit, quantum nemo ante, multa tamen intentiori studio et curae relicta esse, quibus tractandis de Tacito bene mereri liceat, cognoverunt et alii, et maxime quibus hic scriptor aliis enarrandus traditur. Sed, ut de ceteris non minus gravibus taceam, id praecipue miratus sum, quare interpretum et editorum superiorum nullus, praeter Beat. Rhenanum[1]) et Georg. Walchium,[2]) in eius latinitate

1) Is initio ed. Basil. II. a. 1533 thesaurum constructionum et locutionum et vocum Tacito solemnium praemisit; repetitus est ille thesaurus in edit. Basil. III. a. 1544, quam oculis contrectare mihi obtigit. Ceterum, si ex vero, quae hoc in thesauro ab Rhenano praestita sunt, aestimabimus, plura incepta, quaedam absoluta, alia de integro agenda reperiemus, quo tamen eius utilitas non tollitur, dummodo scoria a metallo secreta fuerit.

2) Diatribe critica de Tacito eiusdemque stilo ad Jacob. Perizonium; exstat in edit. Taciti ab Chr. Hauffio parata Lips. 1714. Walchius vero, quo nemo fere ab ingenio et doctrina paratior erat, totam rem, modo hoc consilium ei fuisset, sine ullo labore vel molestia brevissimo temporis spatio perfecisset; sed magnus vir, ut facile quisque concedet, nihil aliud videtur spectasse, quam ut paucis exemplis de Taciti loquendi genere interpretes invitaret ad simile quiddam elaborandum; ipse praesertim ultro significans, se non omnia Tacito singularia pertractasse, sed quaedam, ut res per exempla illustrari possint.“

explananda, operam collocare suam voluerit; quod, si quis probabili ratione hoc in se laboris suscepsisset, non textum tantum scriptorum librariorum vitiis minus contaminatum in manibus teneremus, sed de praestantia quoque scriptoris rectius iudicare nobis liceret. Noster enim adeo flagitiose a correctoribus et interpretibus corruptus est, ut Tacitum in Tacito quaeras. Ac sane tales sunt orationis proprietates, quae acumen exigant etiam doctioris interpretis. Etenim quum novum ac proprium sibi finxisset scribendi genus, in quo tam multa sunt, a vulgari loquendi usu plane discrepantia, neque usurpata aequalibus scriptoribus, et in locutionibus et in constructionibus tot e vetustate desumpta, vel e graecis fontibus in latinum sermonem translata, facile intelligas, quot virtutes interpretis requirat Taciti dictio, ut aditus ad eius scripta probe intelligenda paretur.

Auget porro interpreti tractandae huius, quae est de elocutione Taciti quaestionis necessitatem varium et saepe perversum de ea iudicium, quo, quum sermo eius durus, asper et intellectu difficilis plerumque dicatur, factum est, ut multi ab hoc scriptore tractando deterrerentur. Quapropter haud scio an multum fallamur, si contendamus, Tacitum a nemine bene pertractari possit nisi qui formam eius orationis et omnes proprietates longo usu et familiaritate perdidicerit. Quis autem dubitet, quin haec grammatica scriptoris explicatio, etiam partibus quibusdam grammaticae latinae largam praebeat messem? Quibus rationibus inducti nostra aetate Io. Theophil. Buhle[3]) et Frid. Günther[4]) duo viri summo ingenio magnaque

3) De C. Cor. Taciti stilo observationes criticae Brunsv. 1817. scripta est haec commentatio, adversus Jo. Hill, Philologum Edinburgensem, cui in libello, on the character and talents of an accomplished Historian, with an application to the writings of Tacitus (i. e. de ingenio, animi indole et dotibus, quibus praeditum et instructum esse oporteat Historiarum scriptorem omnibus numeris absolutum, respectu simul Taciti habito) insertus est Vol. 1, 4 com-

exquisitae eruditionis copia instructi, ad Taciti elocutionem explanandam operam contulerunt; inde factum est, ut multa quidem de quibus antea nullum aut falsum iudicium erat, nunc certa et transacta sint, plura tamen accuratius definienda et firmius explananda relinquerentur, quum illi viri, non totam disputationem amplexi sint, sed, id quod valde dolendum, pauca tantum de multis attigerint, neque semper gravissima.

Etsi igitur de huiusmodi disputatione paranda meditatus, quae linguae latinae subtilissimam requirat cognitionem, magnitudinem rei et tenuitatem facultatis meae non ignorabam, tamen, summo huius scriptoris amore ductus, non praeter rem facturus mihi visus sum, si invitante occasione, cum mihi mandatum esset, ut ad hoc examen publice instituendum Programma scriberem, eorum, quae eam in rem collecta habeo, particulam aliquam speciminis loco eruditorum iudiciis, qua par est modestia, apud me constituerem. Sed nonnulla sunt, quae de ipso nostro instituto et de ratione, quam hac in commentatione scribenda sequutus sum praefari me oporteat; attamen ne in iusto maiorem molem et alienam ab occasione huius scriptionis noster libellus adcrescat; nonnisi potiora quaedam ex ampliori nostro commentario, de elocutione Taciti, quem mox in publicum mittemus, quae ad proprietates scriptoris cognoscendas aliquam vim habere videantur, proferre consituimus. Hunc ad finem Rhenani thesau-

ment. philosoph. et historic. Societat. Regiae Edinburgensis, scriptoris stilus neque satis purus et tersus videtur, neque rebus semper conveniens."

4) Ueber einige grammatische Eigenheiten und Merkwürdigkeiten des Taciteischen Styls. Exstat haec commentatio in Athenaeo opera Frid. Güntheri et Guil. Wachsmuthii Halae 1817 Vol. II fasc. II p. 258 — 290. De ipsa ratione, quam hac in commentatione scribenda sit sequutus, observat Günther, de iis vero seu loquendi generibus loquor, quae non vulgaria sunt, et vel Tacitea omnino, aut propemodum Tacitea videri queunt."

rum et Freinshemii Indicem in Tacitum excerpsi, congessique quidquid praeterea a V. V. D. D. passim in Commentariis de aliis scriptoribus, aut in ipsis Taciti editionibus de eius loquendi genere annotatum inveni. Multa tamen me non invenisse, facile credo, sed ob librorum, qua laboro penuriam, veniam necesse est, ut imploremus; multa vero a me esse dicta ab aliis iam occupata libenter fateor. Quod tamen ita feci, ut appareret, unde et a quibus ea accepissem.

Nostra vero ipsa qualiacunque sunt, ut grato animo probus lector accipiat bonique consulat, enixe rogo et oro.

---

§ 1.

Varia indicia de dicendi genere Taciti exponuntur; qua ratione scriptor a Thucydide pendeat inquiritur.

Omnes rerum gestarum scriptores acumine et divinae mentis indole ceteris praestantes, intendisse eas ingenii dotes ad sermonem parandum propriis verbis et dictionis oblectamentis conspicuum, quo cum audientium legentiumve voluptatem ac animos tenere possent et movere tum a turba mediocrium scriptorum distinguerentur, neminem literarum peritum fugit. Satis est ipsos modo principes historicorum in medium provocasse, e Graecis Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, e Romanis, Sallustium, Livium, Tacitum, quorum quisque diversis virtutibus primum sibi locum vindicasse visus est antiquis iam existimatoribus. Sin vero quis est historicorum veterum, qui peculiari cogitandi loquendique ratione, non solum suis aequalibus longe antecellat, sed iis etiam, qui et postea et aliis in terris historicam artem professi sunt, est is Tacitus. Plures quidem sunt, et qui Nostrum bene noverant, ut Puteolanus, Muretus, Lipsius, Pichena, Ryckius, aliique, qui propter constructiones singulas et

sententias, Tacitum aemulum atque imitatorem Thucydidis vocent; sed, haec opinio si vera est, fatendum est sane, Tacitum parum dignum se praebuisse ingenio suo. Ut vero hoc argumentum bene pertractaretur, non satis est ingentem copiam locutionum similium congerere, sed investigari debet, unde exorta sit ea similitudo. Sed illa disquisitio tanti laboris est, ut eam hoc loco multis de caussis suscipere nequeam. Vide eruditam de ea re Frid. Rothii, viri etiam alias de scriptore nostro optime meriti, disputationem,[1]) qui, Tacitum quidem ad imitandum sibi proposuisse Thucydidem, sed similitudines illas inniti magis morum similitudine atque rarissima animi necessitudine, quam curiosa et inani Thucydideae dictionis imitatione, bene exposuit. Qua re tamen haud negaverim apud Thucydidem et Tacitum in scribendi genere multis cum discrepantiis etiam multa esse congruentia, cum uterque scriptor sublime genus dicendi exhibuerit. Senserunt enim Cicerones seriorum Romanorum, ut antiquorum Graecorum, nullum librum, quum oratores instituere vellent, certius id efficere potuisse Thucydide; (Meierotto de Thucyd. p. 196) quare Thucydidem multos invenisse imitatores non mirum videbitur. Noster vero ut solent magna ingenia, suum loquendi genus ipsi fingere, neque auctoritate aliorum pendere, universum quidem orationis Thucydideae colorem, quatenus in sublimitate maxime et vigore inest, lectione et studio eius sibi comparavit — ingeniose enim ac subtiliter ingenium, mores, vultus, totum denique habitum personarum ita designavit, ut cunctas personas earum ingenia ac rationes semper et ubique oculis intueri eos dixeris; pro dignitate et

---

[1]) Thucydidis et Taciti comparatio. Scripta haec est disputatio ad celebrandam regis Bavarorum nominis memoriam Monachii 1812; quam disputationem vernaculo sermone typis exscribendam curavit; eam postea latine reddidit Guil. Fittbogen Lusatus vid. Poppo Prolegom. in Thucyd. Vol. I P. I p. 381.

condicione personarum atque rerum modo gravi oratione ac severa utitur, modo tenui ac submissa; tranquillitatem animi, severitatem, comitatem, tristitiam, laetitiam, superbiam, ita ex Thucydide expressit, ut nemo possit melius — sed, quod ad loquendi genus attinet, in hoc propriam vim ingenii ac robur, ab indole sermonis Thucydidei longe recedentem, Tacitum expressisse indicamus. Sapit enim narrandi ratio Tacitea et totum sentiendi scribendique genus ingenium poeticum, et in electione vocabulorum eorumque formis, et in significationibus et in constructionibus. Nec mirum est, nam sublime genus dicendi, quod, ut modo diximus, Tacitus elegit, poeticae orationis imitationem et admittit et flagitat. Nam ut ante Thucydidem sublimitas poetis tantum propria fuit, sic illam orationis sublimitatem, gravitati et dignitati antiquiorum Romanorum aptissima,[2]) poetae Romani Augustei seculi inprimis excoluere. Quid igitur mirum, quod Tacitus in dictione potissimum aliquot sublimiora, rariora ideoque poetis grata vocabula et constructiones haud sprevit, quae vero ipsis rebus maxime idonea sunt, et sono, significatu et utentium auctoritate sublimia fiunt. Quapropter ex poetarum collatione, maxime Lucretii et Virgilii, nam singulae quoque dictiones inde petitae sunt, Taciti loquendi genus optime illustratur,[3]) quamquam Boeckhius, vir immortalis, suo iure scribit,[4]) maxime affinis est Tacitus poesi lyricae nec tantum universa narrandi ratio et totum sentiendi ac scribendi genus lyricam spirat libertatem, sed singulae quin etiam dictiones colorem inde duxerunt.“ Noster enim res exposuit, quae degenerationem, dis-

---

2) Olympiod. Aristot. Meteor. p. 27. Athenaeus X p. 425 A.

3) Observat etiam Walchius, eos, qui Tacitum tractent, etiam poetas romanos illi coniungere debere.

4) Not. Crit. in Pindar. Oly. 1, 104.

solutionem et ruinam imperii annuntiabant vel adducebant. Itaque luget perpetuo senescentem reipublicae statum eiusque interitum, deplorat mores profligatos ac deperditos et disciplinam luxuria, avaritia et insatiabili cupiditate corruptam atque depravatam hominum suae aetatis. Quamquam Tacito his in rebus narrandis, illa animi indignatio atque acerbatio, quae effusae sunt super scripta Tacitea, deesse non poterant, tamen ubivis Noster integrum ac liberum animum servavit, et odio et indignationi tantum indulsit, quantum libero homini liceret. Sed quid magis consentaneum est, quam ut res easdem vivis coloribus depingat, quibus ipse commovetur et in eiusmodi locis Tacitus ad lyricam poesin propius quam alibi accedit, et in universa narrandi ratione et in singulis loquendi formulis.

Ex his, quae huc usque diximus, apparet, non propter singulas loquendi formulas et sententias Thucydidi similes, ut nimis anxie eam similitudinem interpretes quaesiverunt, Tacitum dici posse Romanum Thucydidem.[5]) Optime vero hac de re disputavit Günther, cuius verba sunt: Tacitus wird wohl häufig der Römische Thucydides genannt, und allerdings kann im Betreff der innern Eigenschaften und Bedingungen des Styls, in Hinsicht des Ernstes und der Würde historischer Ansicht und Darstellung einige Aehnlichkeit nicht geleugnet werden, wiewohl oft genug der unmuthige Zorn des Tacitus gegen den freien Ernst des Thucydides sehr scharf absticht. Was aber die grammatische Seite des Styls betrifft, so läßt sich, glaube ich, leicht beweisen und schon aus den Eigenthümlichkeiten beider alten Sprachen leicht auch erklären, daß Thucydides weit weniger Ungewöhnliches und von der Schreib- und Redeweise seiner gebildeten Zeitgenossen Abweichendes habe, als der mit einer unbiegsamen und ungefälligeren Sprache hartnäckig ringende Tacitus. Sein Styl, wenn irgendwo gewiß bei ihm ein treues Abbild seines Gei-

[5]) Muret Var. Lect. 15, 3.

stes und ganzen Gemüthes, bietet auch in grammatikalischer Hinsicht manches Neue, Ungewöhnliche und Abweichende dar und nährt sich, als zum sublime genus dicendi gehörig oft einer kühnen Dichtersprache nicht blos in der allgemeinen Darstellungsweise, in der Anordnung und Verknüpfung der Perioden und Sätze, sondern selbst in einzelnen Constructionen und Ausdrücken. Man sollte daher mehr als geschehen ist, Dichter zur vollen Beleuchtung und Erklärung seiner Sprache benutzen."

§ 2.

Recensentur vocabula et loquendi formulae, in quibus poëtarum morem, inprimis Lucretii et Virgilii, imitatus est Tacitus.

Quod ad sententias pertinet, iam ab Salinerio allata sunt exempla Virgilianae imitationis ad Ann. 12, 16 ed. Gronov. I p. 727 Sunt haec. Aen. 1, 136 Maturate fugam, regique haec dicite vestro Ann. 6, 36 in longinqua et contermina Scythiae fugam maturavit — Aen. 2, 367 Quondam etiam victis redit in praecordia virtus. Agric. 37 et aliquando etiam victis ira virtusque — Aen. 6, 304 iam senior, sed cruda Deo viridisque senectus Agric. 29 et quibus cruda ac viridis senectus — Aen. 6, 103 Non ulla laborum, o virgo, nova mi facies Hist. 3, 30 At rursus nova laborum facies — Aen. 7, 33 assuetae ripis volucres et fluminis alveo Hist. 5, 6 neque pisces aut suetas aquis volucres patitur — His adde: Equus bellator Germ. 14 Virg. Aen. 12, 751 — Aen. 12, 51 et nos tela — ferrumque — spargimus Germ. 6. Pedites et missilia spargunt — Aen. 7, 725 mille rapit populos 10, 178 mille rapit densos cf 1, 418 Georg. 3, 105 ubi rapere dicitur pro raptim aliquid facere, ut nos, eilig etwas thun Tacitus rapere exercitum i. e. festinanter ducere Ann. 1, 56. 15, 8. Hist. 1, 26. 27. 29 illicitas voluptates rapere i. e. avide capere vel frui Hist. 3, 41 — Aen. 12, 685 Seu turbidus imber proluit, aut annis solvit. Hist. 5, 7 sive herbae

tenues aut flores Aen. 11, 78 Laurentis praemia (spolia) pugnae. Hist. 1, 51 praemia (spolia) quam stipendia malebat Hist. 5, 11 (Ann. 11, 78) poscebant pericula cupidine praemiorum — Georg. 4, 76 magnisque vocant (provocant) clamoribus hostem et Georg. 1, 388 tum cornix plena pluviam vocat improba voce. Germ. 14 facile persuaseris — hostes vocare et vulnera mereri Hist. 4, 80 vocare offensas — Aen. 5, 785 Phrygum exedisse nefandis Urbem odiis satis est. Ann. 2, 27. Hist 4, 81 Exedere rempublicam; eadem ratione Tacitus Ann. 15, 5 abedere, ut habet vernaculus sermo abessen, quo loco Pich. Lips et seq. legunt ambederat, ut Virgil. Aen. 3, 257 ambesus; sed habet quoque Noster adesus — Aen. 8, 132 didita fama et sic Tacitus Ann. 6, 35. 11, 1 Hist. 4, 34 — Claudae naves, de iis navibus, quibus detersi sunt remi vel fracti ab altera parte, ut ab una tantum parte remigio agi possent Aen. 5, 271. Ann. 2, 24 sed et Liv. 37, 24. — Ausus passive Ann. 3, 67 ausis ad Caesarem codicillis unde ausum et ausa ut ap. Virg. Aen. 6, 624 — Atque in re subita pro statim Georg. 1, 203 Hist. 3, 17 atque illi consternantur cf. Gronov. ad Liv. 26, 36 — Exercere ap. Nostrum de omnibus rebus, quae ob morem aliquem et consuetudinem exercentur, quo sensu vulgo colere et uti adhibetur, accusationes, bellum ex. das Angeberhandwerk, das Kriegshandwerk treiben Hist. 2, 10. amicitiam Ann. 15, 64. Hist. 1, 14. artem Dial. Orat. 5. arva, metalla, portus Ann. 3, 1 contentiones Ann. 13, 28. discordias Hist. 4, 50. fenus Ann. 6, 16. avaritiam et scelera Hist. 1, 72. Agric. 39. talibus curis exercitus; saepius hac in significatione exercere ap. Virgilium et ap. alios Augustei aevi poetas. Georg. 1, 99 exercetque frequens tellurem Ann. 12, 43 sed Africam potius et Aegyptum exercemus Georg. 1, 210 exercete, viri tauros. Aen. 4, 623 tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum Exercete odiis Ann. 11, 7 multos milita, quosdam agros tolerare vitam cf. Sallust. Catil. 11, 49. 15. — Virg. Georg. 2, 223 tellus patiens vomeris.

Agric. solum patiens frugum — Adulta nox, aestas, coniuratio, seditio, vitia (valida) Hist. 1, 23. 31. Ann. 2, 23. 3, 53. 11, 31. 13, 36 — Sonor pro sono Ann. 1, 65. 4, 48 14, 36 (Lucret. Virgil.) — Pallores in num. pl. ut ap. Lucret. 4, 337 Agric. 45 sic in num. plur. Metus Hist. 4, 5 et acies, labantes, Germ. 8 — Germ. 5 Ne armentis quidem suus honor, aut gloria frontis; honor de pulchritudine, quae e nitore et pinguedine provenit cf. Horat. Ep. 17, 17. Sil. Ital. 12, 243 — Lauru abl. a laurus Ann. 15, 71. Hist. 2, 55. — Cuncta pro omnibus Hist. 1, 2 et alias — Crudescere Hist. 3, 10 (Virg. Iust.) — Semineces Hist 3, 28. Agric. 36 — Deesse pro non habeo vel careo Ann. 13, 37 Non defore Arsacidis virtutem fortunamque cf. Virg. Bucol. 2, 22 Ovid. Art. 3, 42. — Circumdare principi ministeria Hist. 2, 59. 4, 62 Agric. 20. Similiter Circumiecta urbi loca Quint. 9, 2 quum ex verbis sic compositis pleraque praepositionis casum petunt, sic Tacitus Sententiae alicuius contraire Ann. 14, 45 — Adductius regnare i. e. severius, strictius Hist. 3, 7. Germ. 43 — Regnantur gentes Hist. 1, 16. Germ. 43 pro regnant reges gentes; regnare enim de populis dicitur, apud quos regium imperium cf. Horat. Od. 2, 6, 11 regnata petam Laconica rura — Ales ut passim ap. poëtas de aquila Ann. 2, 17. Hist. 1, 62 — Delubrum fere semper ap. Tacitum ut ap. poetas pro templo — Laudare armis Germ. 12 — Fessis rebus subvenire Ann. 15, 50 — Fessa aetate Hist. 1, 12. 3, 67 cf. Lips. ad Ann. 15, 38 — Resadtritae Italiae Hist. 2, 56 — Fatigare deos Hist. 1, 29 vid. Mart. 7, 59. Stat. Silv. 5, 1. 72 fatigare silvas Aen. 9, 605. Candidi equi — quos pressos sacro curru — observant Germ. 10 ubi pressi equi sunt currui subiuncti, ut Ovid. Am. 1, 2, 14 detrectant pressi dum iuga prima boves. Metam. 1, 124 pressique iugo gemuere iuvenci — Fama senescens Hist. 2, 24 — Partes revirescens Ann. 4, 12. Hist. 3, 7. Germ. 43. — Lues belli Hist. 3, 15 — Moriens libertas Ann. 1, 74 —

Limen belli (initium) Ann. 3, 74 — Eluctor nives Hist. 3, 59. difficultates Agric. 17 eluctantia verba Ann. 4, 31 — Secundante vento Ann. 2, 24 (Iust. 26, 3.) — Mare Oceanum Ann. 1, 9 cf Zumpt Gr. § 258 cf. Hist. 4, 12 ubi legas: mare Óceanus, quoniam in neutra forma, aut adiective nuspiam occurrit vid. Ernest. ad h. l. — Magniloquus Agric. 27. Ovid. Metam. 8, 396. Stat. Sylv. 3, 3, 62 Poetae accusativos adiectivorum in neutro genere utriusque numeri, verbis neutris eorumque participiis, adverbiorum loco adiiciunt, ita loquitur etiam Tacitus Ann. 4, 60 Tiberius torvus aut falsum renidens vultu. Ann. 3, 37 Nunciavere accolae Euphraten nulla imbrium vi et immensum attolli. Ann. 3, 11 Res patronos petenti, iisque diversa excusantibus. Simili ratione Ann. 3, 39 maiorum bona facta pro bene facta 3, 65 prava dicta — Germ. 2 Oceanus raris navibus aditur pro raro. Germ. 6 rari gladiis utuntur cf. Rudd. Inst. Gr. L. Tom. II. p. 159 Zumpt Gr. § 383 — Sic etiam ap. Tacitum e more poetarum verborum collocatio invenitur ad quam pertinet Tmesis et Anastrophe.

Tmesis est vocis compositae sectio, una vel pluribus aliis interiectis Hist. 1, 20 vix decumae super portiones erant pro supererant ut Virg. Aen. 2, 567 et Plaut. Curcul. 1, 1, 85 — Hist. 1, 10 ab exule fuit pro abfuit cf. Hist. 2, 77.

Anastrophe est vocum, maxima praepositionum, praepostera collocatio, quae in quibusdam dictionibus adeo usitata est, ut vix aliter Auctores loquuti sint, ut in his mecum, tecum, secum, vobiscum, nobiscum, quamobrem, quapropter, quemadmodum, quatenus, hactenus; de aliis praepositionibus apud alios scriptores vid. Ruhnken. ad Vell. 2, 91 sed apud Tacitum omnes praepositiones et caeterae particulae transponuntur qua mirum in modum rhythmus numerusque orationis promotus est cf.

Walch. ad Agric. p. 338 Ann. 15, 1 quem penes erat regimen 6, 35 quos super 3, 75 praeturam intra. 3, 72 ornatum ad urbis. Hist. 2, 78 est Iudaeam inter Syriamque Carmelus. Ann. 4, 5 Misenum apud et Ravennam cf 3, 75. 6, 31 ripam apud Euphratis. Ann. 3, 3 Corcyra insula litora Calabriae contra sita. Ann. 3, 24 Patribus coram et sic Tacitus fere semper coram postponit vid. Freinshemii Indices. Ann. 11, 10 paucos inter senum Regum Ann. 12, 51 Iberosad. An. 15, 32 Animalia maris Oceano abusque petiverat, ubi inprimis observes poetarum imitationem, qui pro usque ab, usque ad, abusque, adusque dicunt vid. Virg. Aen. 7, 289. 11, 262 — Si adiectivumet substantivum iunguntur, ubique praepositio medium locum tenet. Ann. 3, 10 iudice ab uno. 3, 55 pecuniosam ad senectam. 4, 16 potissimam penes incuriam. 4, 48 augendam ad formidinem. 5, 3 aliis a primoribus. Hoc accidit porro Adverbiis et Coniunctionibus, ex quo haud raro confusus atque intricatus verborum ordo efficitur, quem vulgo Synchysin appellant — Simul pro cum, ablativo iunctum, ut poetae, qui ex more Graecorum particulam simul pro praepositione acceperunt Horat. Sat. 1, 10, 86 Simul his te-praetereo; saepius hoc in sensu simul ap. Tacitum vid. Ann. 6, 9. 14, 40 Agric. 25, 36, 41; sed etiam postponitur substantivo Ann. 4, 45 Laodicenis simul — 3, 64 septemviris simul — Quamquam postpositum invenitur Ann. 6, 30 haec, mira quamquam i. e. quamquam mira — Donec Ann. 13, 33 senecta donec mortem obiret — Immo Ann. 12, 6 statueretur immo documentum — Ut Ann. 4, 55 novas ut conderet sedes — 15, 34 pleriqne ut arbitrabantur. Simili ratione dixit Tacitus, ut vix pro vix ut, ut nemo, ut nihil, ut nullus pro nemo, ut etc. vid. Zumpt Gr. § 356 — Quum Ann. 1, 63 onustum sarcinis armisque militem cum antevenisset. 12, 54 Hique primo laetari, mox gliscente pernicie, cum arma militum interiecissent, caesi milites — Et Ann. 1, 4 Postquam provecta iam senectus aegro et cor-

pore fatigabatur; hoc loco et pro etiam accipiendum est ex more argenteae aetatis, qua in significatione ipse Cicero voculam et adhibuit pro Reg. Deiot. 11 et aliis locis de Off. 1, 38, 3 quamquam hic usus ap. Ciceronem suspectus redditur vid. Interpp. ad Cicer. Liv. 1, 1 et Drakenb. a. h. l. nostrum locum accipias: Postquam provecta iam senectus et (etiam) aegro corpore fatigabatur — Etenim primo loco Hist. 4, 11 Asiaticus enim is libertus, malam potentiam servili supplicio expiavit; hoc loco enim pro autem positum videtur — Simili ratione saepius Genitivus praeponitur, quo vis sententiae non augetur Ann. 4, 65 Et Ducum e nominibus indita vocabula. 6, 14 At Rubrio Fabato, tamquam desperatis rebus Romanis Parthorum ad miseriocordiam fugeret. 13, 6 quam si invalidus senecta et ignavia Claudius militae ad labores revocaretur — Plane poetica constructio est, si que explicandi caussa alteri voci iungitur, quam nativus sententiae ordo exigebat; huc pertinet Ann. 2, 88 reperio apud scriptores senatoresque eorundem temporum; quo in loco explicando multum laborant Interpretes; ego accipio locum: scriptores, qui senatores erant; itaque particula Que pro et quidem sumenda est; ut Ann. 14, 51 Sed — subsidia minuebantur: concessitque vita Burrus, ubi que explicative dicitur pro et quidem. Particulam et saepe explicandi vim habere ap. Nostrum monuit iam Wolfius, quem cf. ad Ann. 1, 33. 57. Walch. Emend. Liv. p. 65 — 68 ubi multi loci e Tacito feliciter explicantur, sunt Ann. 3, 28. 6, 31. 13, 42. Hist. 1, 7. 3, 16. Frotscher. observ. I p. 21 Drakenb. ad Liv. 2, 42. 21, 55 Goerenz. ad Cic. de Finib. 1, 10, 32.

Ceterum hac in poetarum imitatione caussa quaerenda est, quare in Tacito plures versus inveniuntur, quam apud ceteros scriptores latinos ex. gr. Germ. 39 Auguriis patrum et prisca formidine sacram; et Ann. 1, 1 Urbem Romam a principio reges habuere. Hi versus inprimis e Tacito congessit Fabr. Bibl. Lat. lib. 2, 21 Vol. II p. 389 ed. Ernesti.

De constructionibus ex poetis desumptis, alio loco accuratius disputabimus. Qua ratione igitur in sententiis et in ipsis loquendi formulis a poetis, inprimis a Virgilio pendeat Tacitus huius generis exempla multa protulimus, quapropter nunc accuratius agamus de dicendi genere Taciti.

§ 3.

Tacitus non adversatur bonae latinitati. — Amat archaismos. De substantivis verbalibus in or, io, ix et de adiectivis in bilis desinentibus, quibus argentea aetas linguae latinae et ditior et correctior est facta, explicatur.

Illae vero orationis proprietates, quibus Nostrum instructum videmus, quamquam, siquid aliud beatam ingenii Taciti venam ac profunditatem declarant, tamen eius scripta intellectu difficiliora reddunt, caussas eum graviter obtrectandi iis praebuerunt, qui, quum non perspicerent Taciti historiae eam esse indolem, quae Romanorum plerorumque et iudicandi et sentiendi longe sit superior, etiam de eius elocutione non melius iudicarunt.[6]) Atque incredibile dictu est, quanti inde prodierint errores. Videtur enim sermo Taciteus, senticosus, asper, perplexus, et Pythicam obscuritatem affectans, denique multum a puritate latini sermonis recedens, quare Baco de Verulamio de stilo Taciti aestimat, mediocribus ingeniis gratus esse solet.[7]) Operosum esset absque ullo fructu, si sen-

[6]) Talis calumniae Andr. Alciatus et A. Ferretus iureconsulti, primi auctores fuere, ipsi parum idonei harum rerum iudices cf. Gerard Vossius de Hist. Lat. 1, 30.

[7]) In libro de augm. scient. lib. I p. 56 — ed. Lugd. 1652. Attamen Nostrum Paulus III, P. M., Cosmus Medices, Fridericus Magnus aliique principes viri in deliciis habuere; et vere dixit Heinsius: Obcultam ei

tentias omnes, quibus male feriati homines Taciti scripta perstringere sibi visi sunt, recensere vellem, clamitantes Tacitum grammaticas regulas contemnere ac violare. [8]) Accidit Tacito, ut iungeret verbum regens casum dativum cum accusativo ex. c. adversari aliquam rem pro alicui rei Hist. 1, 1. 38. 3, 25. 4, 28. Ann. 1, 28. Cuius quidem constructionis caussas, si esse dixero textus corruptelam, num, quaeso, nimium erravero? His enim locis, sensus et latinitas flagitant aversari, ut Pichena, Freinshemius, Ernest. aliique scripserunt. Adversari idem est, quod repugnare ab adversus; aversari autem significat vultum vel animum avertere ab aliquo detestandi caussa ab avertere; adversamur igitur alicui rei ne fiat, sed rem iam peractum aversamur; nec aliter Sueton. vit. Tib. c. 27 ad adulationem aversatus est, i. e. Schmeichelei wieß er mit Verachtung zurück. vid. Forcell. Lex. ed. nov. in Germ. edita. Habet quidem Tacitus sua propria, sed tamen nihil, quod a sermone latino plane abhorret; quare critici, eum, quem illi volebant obtrudere usum vocabuli adversari ex aliis probatis scriptoribus confirmare debebant. Minime placet, quod Buhle p. 52 observat: dici potest, Tacitum consulto a vulgari loquendi usu discessisse. Apud Plautum saltem obvium: adversus sententiam adversari. Quodsi igitur adversari accusativo iungitur, supplenda est praepositio adversus, et tum verbum illud fortiorem nanciscitur vim.“ Aliter autem dicimus adversari contra, quo minus, quod Plautinas comoedias adeunti facile apparebit Casin. 2, 3, 25 et Mercat. 2, 3, 43 cf. Cic. de Finib. 3, 20 — Sic inter vitia sermonis Tacitei refertur

quandam et mysticam fuisse haruspicinam, quae non animantium scrutaretur exta, sed regum corda mentesque introspiceret, et illius scripta meram esse prudentiae medullam, ipsum vero corculum sapientiae fuisse.

[8]) Plurima eorum iudicia passim exhibuit Baelius Lex. histor. et critic. Tom. IV. p. 2825. 2827.

duplex constructio verbi praesidere cum accusativo (Ann. 3, 39. 4, 5. 72. 12, 14. 29) et cum dativo (Ann. 1, 76. 2, 68. 3, 64 et multis aliis locis) Quis autem pro certo adfirmare audeat, ea, quae quibusdam apud Tacitum nova videntur, non apud veteres quoque in usu fuisse, cum tanta veterum scriptorum facta iactura sit? Multa alia ex more Graecorum, quos Tacitus, ut alio loco videbimus, maxime imitatus est, explicanda sunt, et sic minime adversantur bonae latinitati. Ceterum ii vehementer errant, qui oratorum morem aliorumque scriptorum ad historicos transferrent, qui, ut in aliis rebus multis discrepant a vulgari loquendi modo, ita in scriptis suis antiquitatis colorem affectant. Ad haec pertinent Archaismi, de quibus pauca moneam, quatenus hi Tacito exprobrati, apud alios quoque scriptores inveniuntur, nam ipse Cicero, loquitur saepe secundum antiquiorem rationem, et verbis Comicorum veterum inprimis in Epistolis ad Atticum usus est. Exempla huius generis ap. Tacitum sunt: Adulor aliquem Quintil. 9, 3 init. adulari huic suo aevo, adulari hunc antiquioribus scriptoribus dictum observat. Tacitus tamen, quamvis ei aetate suppar, quartum casum adhibuit Ann. 16, 19 — Potior aliquam rem Ann. 11, 10 (Just. 6, 4. 12, 7. 37, 1.) alicuius rei, flagitii Ann. 4, 3 regni 13, 6 genitivum frequenter admittit Cic. Famil. 1, 7 et alibi Caes. Sall. — Moerere aliquid (Cic. ad Div. 14, 2 et alibi) — Vescor aliquem, sorte ductos Agric. 28 — Fungi aliquid munera, officia, Ann. 3, 2. 4, 38 (Suet. Octav. 35. 45 frequentius Terentius) — Elabi aliquid Ann. 1, 61 vincula Hist. 3, 59 custodias, ut evadere silvas Ann. 1, 51. Sed haec iam mittamus. Optime his obtrectatoribus adversatus est M. A. Muretus, idoneus, siquis alius latinitatis arbiter, in illa oratione, quam Tacitum interpretaturus habuit Romae.[9]) Inter recentiores graviter

---

9) Quae est in Vol. II, 14 hodie 17. Var. Lectt. 15, 1.

adversatus est Tacito Ernestius, quem saepius, quam decebat sequuti sunt editores novissimi. Sed valde miror eorum sive timiditatem sive imbecillitatem, qui nihil credunt latine dici bene posse, nisi cuius in Cicerone sexcenta exstant exempla. Ceterum et haec aetas, quam argenteam literaturae Romanae nuncupant, subvenire nobis debet, quae non solum compensat, siqui libri superioris aevi interierunt, sed subinde etiam, ut fieri solet successu temporis, nova verba, non minus eleganter tamen, et assensu populi Romani formata, superaddit. Quin adeo profiteamur linguam latinam Tacito eiusque aequalibus, non solum ditiorem, sed et correctiorem factam fuisse. Sic inter omnes nostrae aetatis eruditos constat, scriptores aetatis aureae multis substantivis abstractis caruisse, ideoque verbis eorum loco usos esse. Quo oratio fit laxa et dissoluta verborum quidem copiosa ideoque oratorio ornatui apta, sed historico densum et concisum sermonem sectante parum digna. Quam Romanae linguae paupertatem bene sentientes cum alii scriptores, qui post oppressam libertatem vixerunt, tum qui optime inter eos veram historici generis indolem perspexit Tacitus, multa igitur nova substantiva formarunt, quibus orationi gravitas atque brevitas conciliatur. Huc pertinent substantiva verbalia in or, io, ix exeuntia, quae absolute perficendi actum significant, de quibus recte iudicavit Günther: Sie drücken Vollbringung einer Handlung passender und reiner aus, als durch Verbalumschreibungen, von denen sich doch nie ganz der Zeitbegriff trennen läßt; der lateinischen Sprache war dieser Fortschritt um so nothwendiger und vortheilhafter, da sie nicht durch eine ausreichende Menge von Participien jenen Mangel ersetzen konnte." Quum vero ingens horum substantivorum numerus apud optimos scriptores exstet, eorum tantum proferamus recensum, quae non vulgaria sunt, ut delator, interfector aliaque, sed vel Tacitea omnino aut propemodum Tacitea videri queunt.

A. Substantiva verbalia in or exeuntia.

Adcumulator opum Ann. 3, 30 — Adiutor imperii Ann. 4, 7 — Adsertor Hist. 2, 61 — Altor Caesaris Ann. 6, 37 — Auxiliator haud inglorius Ann. 6, 37 — Bellator equus Germ. 14 — Concertator Corbulonis Ann. 14, 29 — Concitor belli Ann. 4, 28. Hist. 4, 56. 68 — Condemnator Ann. 4, 66 — Confector belli Ann. 14, 39 — Criminator Ann. 4, 1 — Cupitor matrimonii Ann. 12, 73 incredibilium Ann. 15, 42 — Decessor Agr. 7 — Defector parata ultione in defectores Ann. 12, 50 in patris sui Ann. 11, 8. 12, 50 Hist 3, 12 — Desertor duplicis significatus ap. Tacitum; generalis significatio est, relinquere aliquid, quo sensu nonnunquam ap. Ciceronem hoc verbum invenitur ad Attic. 8, 9 de Finib. 3, 19 cf. Schütz Clav. Ciceron. Hist. 1, 72 eiusdem desertor ac proditor; specialis autem significatio, de militibus, qui signa deseruerunt, ut iam ap. Liv. 3, 69. 23, 18 frequentius hac in significatione ap. Tacitum: Desertores ac rerum capitalium damnatos sibi iam miscent Ann. 1, 29. desertorem hostium more agere indignum; eadem ratione ipsum verbum deserere Ann. 13, 35 dehinc quia duritiem caeli militiaeque multi abnuebant, deserebantque, remedium severitate quaesitum est — Detractor, nam ipse haud quaquam sui detractor i. e. qui laudibus suis minime detrahere consueverat, ut nos, der seinen Lobsprüchen nichts zu entziehen pflegte Ann. 11, 11 — Dissimulator culpae Hist. 2, 56 (Sall. Cat. c. s.) Domitor belli Hist. 2, 76 Ductor Ann. 4, 45 — Exactor caedis Ann. 3, 14. 11, 37 — Exstimulator rebellionis acerrimus Ann. 3, 40 — Firmator pacis Ann. 2, 46 — Instinctor sceleris Hist. 1, 22 belli Hist. 4, 68 — Interceptor donativi H. 3, 10. Moderator exercitus Ann. 4, 18 — Molitor caedis Ann. 11, 29 — Ostentator periculorum et praemiorum Ann. 1, 24 omnium Hist. 2, 80 — Patrator necis Ann. 14, 62 — Peculator

Hist. 1, 53 (Cic. Off. 3, 18) quamquam verbum simplex peculor tantum ap. Florum invenitur 3, 17 — Profligator et ganeo Ann. 16, 13 — Proeliator Ann. 2, 73 — Provisor dominationum Ann. 12, 4. Occurrit prius etiam ap. Horat. A. P. 164 et in Inscript. ap. Gruter. ORDINIS PROVISORI — Raptor filiae Ann. 1, 58 Hist. 2, 86 raptores orbis Agric. 30 — Reciperator i. q. recuperator urbis Ann. 1, 74. 2, 52 (Cic. Liv.) reciperare autem haud dubie verbum frequentativum ab recipere, quare reciperare vera esse scriptura videtur, etiam ap. Liv. Iust. et in melioribus Codd. Ciceronis invenitur; ap. Tacitum certe semper scribendum est reciperare Ann. 13, 9 Hist. 2, 86. 3, 22 vid. Gronov. et Drakenb. ad Liv. 7, 18 — Rector peditum equitumque copiis Hist. 1, 87. 2, 11. 36, 59. 85. Ann. 1, 24. 4, 48. 12, 40 Agric. 28 — Regnator omnium Deus Germ. 39 — Repertor novi iuris Ann. 2, 30 facinorum 4, 11 sumptum ex Virg. Aen. 2, 164 flagitii 4, 7 — Sanctor legum Ann. 3, 36 — Subversor legum Ann. 3, 28 — Turbator Germaniae Ann. 1, 55 plebis Ann. 3, 27 — Venditator famae Hist. 1, 29, a venditare, ut reciperator a reciperare, sed observes, verbum venditare ap. Tacitum non semper frequentem actionem significare, sed desiderium vel studium rei alicuius faciendae ut Hist. 1, 66 ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes venditante duce i. e. indem der Heerführer selbst die Länge der Tagemärsche und die Bestimmung der Rastörter feil bieten wollte — Violator foederis Ann. 1, 58 — Visores Ann. 16, 2 Igitur Nero — nec missis visoribus per quos nosceret, an vera adferrentur, auget ultro rumorem. Hunc ad locum observat Ernestius vox illa visores barbara demum aetate inventa, insitia et supervacua est, nam longe elegantius: missis qui noscerent. At probant vulg. Mss. Guelf. et edit. pr. Lallem. et Bipont. conl. simil. provisores, cupitores etc. nec a Taciti scribendi genere abhorret; quum ne verbositatem quidem fugiat scriptor noster, duo verba idem significantia iungens ornatus ac maioris expressionis caussa, cuius haec sunt

exempla Effigies et signa Germ. 7. Ann. 3, 50. flagitia et facinora Ann. 6, 6. — invidere et livere Dial. Orat. 25 — occultare et abdere Hist. 1, 88. 2, 77. Germ. 22 — aperire et recludere — vetera et antiqua Dial. Or. 15 — recessus et sinus Agric. 30 — desertor ac proditor Hist. 1, 72. 2, 54 — dolorem et tristitiam Germ. 27 — monumenta et tumulos Germ. 3 ubi vid. Interpp. et multa alia huiusmodi exempla cf. Schelius ad Dial. Or. c. 8 ed. Gronov. Tom. II p. 816. Pichena ad Hist. 4, 64 ap. Gronov. Tom. II p. 519. Rothii dissert. de Synonymis ap. Tacitum. Ernesti ad Germ. 1, 1 molli et clementer edito iugo

B. Substantiva verbalia in ix et io desinentia.

Interfectrix nepotis Ann. 3, 17 — Regnatrix domus Ann. 1, 4 — Adiutrix legio Hist. 2, 43 Forcell. Lex. De significatu autem substantivorum verbalium in io egregie disputavit Günther p. 271 — 274, qua de caussa nos eum in hac parte sequuti sumus. Apud optimos prioris aevi scriptores huius significatus substantiva vel de incipiendo rei vel de perfectione usurpantur, apud seriores autem maximam partem solam vim agendi significant. Haec substantiva autem optime probant, qua ratione sermo latinus locupletior facta sit; ex. gr. Claritas apud veteres est, ut nos dicimus, das Gelangen zum Ruhme, significat igitur actionem aliorum circa aliquem, deinde ipsa insita dignitas, qui clari sunt ob honores s. maiores suos; seriores autem, ut perfectum modum clarescendi exprimant (den abstracten Begriff oder das Gewordene) vocabulum Claritudo usurpant, quam vocem obviam, Ruhnkenio observante, a Sall. Iug. 2 extr. habet Vellei. Patercul. 2, 11. 17. 130. Ann. 3, 65. 4, 6. 15, 35. 71. sed iam Sisenna Hist. lib. 3 ap. Non. Marcell p. 82 (edit. Lips. 1826) quod fortasse an ex voluntate sua summa cum claritudine celeriter confecisset.“ differentia autem vocabulorum claritas et claritudo, quam Fronto statuit, qua

Claritas tum luminis, tum perspicuitas, claritudo generis ac nobilitatis sit, mere arbitraria est. Eadem differentia inter Dignatio et Dignitas. dignatio, Tacito quasi proprium vocabulum, Ann. 2, 53. 4, 52. Hist. 1, 19. 3, 80 Germ. 13 et alibi, est omnino existimatio, dignitas, qua quis apud alios fruitur cf. Gronov. ad Ann. 1, 34 Interpp. ad Vell. Pat. 2, 59 et ad Liv. 2, 16 — Exempla vocabulorum, quibus media significatio iuncta, sunt Maturitas, ut nos, die Reife et die Reifung Cic. Tuscul. Quaest. 1, 28 § 68 vicissitudines dierum — ad maturitatem frugum et temperationem corporum aptas — Poena Strafe et Bestrafung Sall. Cat. 42 (46) anxius erat (Cicero) — quid opus facto; poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae reipublicae fore — Pax Friede et Versöhnung, Befriedigung Liv. 24, 11 perpetratis, quae ad pacem deorum pertinebant — Vulnus Wunde et Verwundung Virg. Georg. 4, 238 animasque in vulnere ponunt — Rota Kreis et Umkreisung Virg. Georg. 4, 484 atque Ixionii vento rota constitit orbis — Honor Ehre et Beehrung Virg. Georg. 3, 486 Saepe in honore Deûm medio stans hostia ad aram cecidit — Cumulus Haufe et Anhäufung Virg. Aen. 1, 105. insequitur cumulo praeruptus aquae mons — Rigor Härte et Härtung Virg. Georg. 1, 143 tum ferri rigor — tum variae artes venere. Multa quidem substantiva verbalia in io apud scriptores inveniuntur et apud Tacitum ipsum, sed usurpantur modo de actu incipiendi, modo de actionis perfectione, ex. gr. Veneratio, qua de voce observat Gronov. ad Ann. 1, 34 usurpant eam vocem pro ea, quam noluerunt dicere venerabilitatem, ut veneratio non tantum sit actio aliorum circa eum, sed ipsa insita dignitas vel maiestas; quare accuratiori distinctione significationis illorum verbalium sermo latinus ditior et correctior evasit, quas accessiones etiam Tacitus ad perfectionem operis sui contulit. Sed audiamus Güntherum ipsum: Zwar findet sich allerdings auch früher schon eine bedeutende Menge solcher Verbalsubstantiva auf io; aber ihre Bedeutung ist noch sehr unbeständig.

Bald giebt diese Endung den Begriff des Gewordenen und Gethanen, wie in actio, factio, oratio, declamatio; bald schwankt die Bedeutung zwischen dem Begriffe des Werdens und Handelns und dem des Gewordenen und Gethanen, wie in interrogatio, defensio, exsecratio, fictio, munitio, legatio, decisio; und nur in einem, wenn gleich sehr großen Theile, bleibt der Grundbegriff des Werdens und Handelns allein herrschend, wie in liberatio, declaratio, assignatio, absolutio, aestimatio, administratio, exsectio — aber leugnen läßt sich doch nicht, daß im Tacitus von dieser Seite die Sprachbildung und besonders der Sprachgebrauch in Absicht auf Umfang und Bestimmtheit merklich zum Bessern fortgeschritten sei." Inter haec substantiva memoratu digna sunt. Abolitio Ann. 13, 5 — Affectatio quietis Hist. 1, 79 Germanicae originis Germ. c. 28 — Adiectio Hist. 1, 78 — Comperendinationes Dial. Orat. 28 — Consternatio (tumultus) Ann. 1, 93. 63 Hist. 1, 83 mentis Ann. 13, 16. militum Hist. 2, 49 vulgi Hist. 4, 50 — Consalutatio exercitum Ann. 15, 16. Hist. 4, 72 — Defectio, debilitas virium naturalium, quam vernaculo sermone vocamus Ohnmacht, quasi dicam destitutione virium — Destinatio Hist. 2, 47. 2, 79. Ann. 12, 32 — Dissociatio Ann. 16, 34 — Dissolutio — Executio negotii Ann. 3, 31 Syriae 15, 25 — Irritatio convivorum Germ. 19 — Obstinatio fidei (obformatio) Hist. 3, 93 Iudaeorum Hist. 5, 13 Praedicatio Ann. 3, 74. 12, 29 — Praevaricatio Ann. 11, 5. 14, 41 — Prolatatio victoriae Hist. 3, 82 librorum lectio ante Gronov. qui primus e Codd. Florent. (Bodl. Bud. Reg. Lall) Guelf. ed. princep. prolatio scripsit, vox Ciceroni frequentissima; sed non contra morem Taciti est prolatatio, apud quem prolatare saepius invenitur Ann. 11, 37. 15, 51. 6, 42. Hist. 2, 78 — Rebellatio Ann. 14, 31 — Remissio Agric. 9 Dial. Orat. 28 — Reputatio veterum novorumque morum Hist. 2, 38 — Subvectio frumenti Ann. 13, 51 — Vacatio Ann. 1, 46 — Inquisitio Agric. 43.

C. Adiectiva in bilis desinentia.

Haec adiectiva a futuris verborum temporibus ducta sunt, atque inde etiam futuri temporis vim iis adhaeret; sed observatu dignum est, ex adiectivis hisce in bilis quaedam interdum activa significatione adhiberi vid. Goerenz ad Ciceron. Acad. 1, 11, 41 p. 63 seq. — Dissociabilis i. e. quod in se habet aliquid unde dissociari non possit Agric. 3 — Aequabilis Ann. 6, 31. Hist. 4, 5. — Inexplicabilis Ann. 3, 73. — Inevitabilis Ann. 1, 74. — Inexplebilis. — Inexpiabilis Ann. 2, 76. — Implacabilis Hist. 3, 53 implacabilius Ann. 1, 13. — Insociabilis Ann. 4, 12. 13. 17. 15, 68. — Instabilis Ann. 1, 63. — Intestabilis Ann. 6, 40. 6, 51. 15, 55. — Irrevocabilis Agric. 42 Notabilis (insignis) Hist. 1, 44. 4, 62. Agric. 40. — Penetrabilis Ann. 2, 61. — Stabilis Ann. 2, 21 — Superabilis Hist. 2, 25. 4, 81. — Spectabilis Agric. Alia hac ex norma formata sunt, ut Exitiabilis Ann. 6, 24 — Perniciabilis Ann. 4, 34, nisi vetera verba exitiare et perniciare statuas; alia contra analogiam, Habilis passiva significatione, quod facile tractari potest Ann. 12, 41 et alibi Inhabilis Ann. 3, 43. — Inter cetera adiectiva, quae desinunt in lis memoratu digna sunt ap. Tacitum. — Aequalius (compar.) parere Hist. 2, 27. Ann. 15, 21. — Penetralis Ann. 2, 10. — Principalis Hist. 1, 12. 2, 59. 81. 4, 40.

Quae vero de formis substantivorum verbalium attulimus, sufficere posse arbitror ad sententiam nostram probandam, linguam latinam Tacito eiusque aequalibus et ditiorem et correctiorem factam fuisse. Sed habemus quoque luculenta veterum scriptorum testimonia, ex quibus non tantum summam Taciti auctoritatem et aestimationem fuisse intelligimus, sed etiam ratio eius laudis perspicitur. Exstant enim complures Plinii mi-

noris ad Tacitum epistolas vel de illo ad alios,[10] in quibus hunc laudibus ita extulit, ut sibi primus videretur, dum ab eo proximus haberetur ingenio, studio, labore et reverentia posterorum.[11] Alia Plinii epistola incipit „Auguror, nec me fallit augurium, historias tuas immortales futuras: quo magis illis (ingenue fatebor) inseri cupio;[12] quod non minus ad elocutionis rationem quam ad inventionis virtutem spectat. Certe non credibile est, Plinium exercitatissimum et subtilissimum iudicem, quando agebatur de aliis, tantam habuisse de Tacito existimationem, nisi eloquentia etiam ceteros omnes tum temporis scriptores antecelluisset; quod item ex Plinio colligitur Epist. 2, 1. Laudatus est (Verginius) a Consule Cornelio Tacito: nam hic supremus felicitatis eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus et Epist. 2, 11, 17 postero die dixit pro Mario Salvius Liberalis vir subtilis, dispositus, acer, disertus: in illa vero caussa omnes artes suas protulit. Respondit Corn. Tacitus eloquentissime, et quod eximium orationis eius inest σεμνῶς. Id probant quoque multas orationes, quas Tacitus historiae inseruit. Ann. 1, 42. 3, 12. 4, 37. 40. 6, 8. 11, 24. 14, 43. 55. 88. Hist. 1, 15. 29. 37. 83. 2, 76. 4, 58. 64 Agric. 30. Ac propterea Imperator M. Claudius Tacitus tantum eum fecit, ut libros eius decies quotannis describi inque archivis publicis collocari iuberet, ne deperirent.[13]

---

10) Lib. 1, 6. 20. 2, 1. 2, 3, 16. 4, 13. 15. 5, 8. 6, 9. 16. 20. 7, 20. 33. 8, 7. 10. 9, 14. 23.

11) Lib. 7, 20.

12) Lib. 7, 33.

13) Flav. Vopiscus vit. Imp. Taciti c. 10.

Ex hoc grandi atque magnifico dicendi genere, quo, ut e Plinio modo docuimus, Noster usus est, et quod argumento suo aptissimum vere iudicavit, plurimae quoque scriptoris proprietates explicandae sunt, quare nunc de sublimi genere loquendi Taciti disputemus.

§ 4.

Sublimitas Taciti adumbratur.

Aetas illa, qua Tacitus floruit, argentea literaturae Romanae nuncupata est, non, ut supra iam diximus, quia sermo latinus in deterius inclinaverat, nam adhuc Romana lingua floruit usque ad Hadrianum, sed ob perversam animorum efformationem in cogitandi atque sentiendi ratione, qua aetas illa longe desciverat a nativa illa et infucata castitate et venustate prioris seculi. Apud omnes enim populos in morum ingeniorumque formatione periodica quaedam circulatio observatur, ex qua ad summum perductum rursus ad infimum velocius quam adscenderat, relabitur, quod, Taciti verbo utor, seculum appellant. Ea autem morum formatio et in rebus externis et in ipsa ratione cogitandi sentiendique aetatis sita est, quum homines vi ab aliis ipsis vario modo illata, coguntur alia cogitare quam antea. Itaque si ad res externas respicias, illo tempore libertas orationis coercebatur rerum publicarum tristiori condicione, qua scriptores quoque coacti sunt, non ut antea, genio suo tantum indulgere; perterrere enim eos debebat Cremutii Cordi fortuna. (Ann. 4, 35) Periculorum erat arcana imperii aulaeque et tecta reconditaque Caesarum perscrutari atque perspexisse; (Ann. 4, 71) adeo poetae cuidam, ob Agamemnonem in tragoedia exprobratum, lis est intenta; (Suet. Tib. 66) similia exempla undique apud Tacitum obvia sunt Ann. 3, 49. 4, 58. 6, 23. Periculosum erat virtutibus et meritis ceteris antecellere. Raro igitur vestigia morientis libertatis erant, (Ann. 1, 72 Agric. 2) quin adeo egregiis Imperatoribus modum libertatis

inclaruit. (Hist. 4, 81) Sic magna ingenia, ut ipse profitetur Tacitus, (Ann. 1, 1. Hist. 1, 1) a scribenda historia deterriti sunt, et cetera scriptorum cohors ad infimam adulationem transiit. Boni mores Principum pravitate in diem corrupti sunt luxuria et avaritia; animi quaedam mollities recti pulchrique sensum, evertit et — mirum non videbitur — imperii languorem etiam literae artesquae paullatim imitatae sunt. Atque tulit hoc illorum temporum fortuna, ut res male gestae plerumque male scriberentur, et huic quoque generi studiorum decora ingenia deessent; ita enim scripserunt, ut auribus tantum et cupiditatibus hominum servirent. Iam magis postulabant homines, ut historia eleganti sermone composita esset, quam ut certis testimoniis veritatis niteretur. Florebant autem illo tempore rhetorum scholae apud Romanos, et ob Georgiae auctoritatem illa artificiosior ars rhetorica in summo honore erat, quae sibi placet in artis, ingenii et eloquentiae ostentatione; quod rhetoricum studium apud laudatissimum quoque rerum romanarum scriptorem Livium observari potest. Iam Ciceronis aetate, qua literae artesque ad altiorem perfectionem apud Romanos paullatim evectae erant, qua ipsa animorum formatio lautior ac politior et iudicium subtilius erat, cepit quoque incrementa latinus sermo, et non amplius ad palatum esse poterat illa vetus orationis simplicitas et argumentorum rudis, omni arte carens compositio priorum oratorum et rerum gestarum scriptorum. Postquam vero temporis successu magis magisque se erudiverant Romani, et, Augusto imperante, omnia multo nitidiorem adepta faciem quam antea habuerant, crebrior severiorque apud scriptores nobis occurrit in antecedentium seculorum scriptores animadversio.[14]) Quare

---

[14]) Horatius passim in Sermonibus et Epistolis eos perstringit, qui Lucilios, Ennios aliosque vetustioris aevi anteponerent elegantioribus et politioribus aetatis suae poetis vid. Manso: Ueber Horazens Beurtheilung der ältern Dichter der Römer Bresl. 1817.

inprimis latinis poetis seculi Augustei id propositum fuit, ut multa novantes sermonem aliquem a vulgari dicendi ratione alienum sibi fingerent. Maximos vero lepores ex Graecis derivarunt;[15]) inde factum est, ut latina lingua adeo cum graeca coniuncta sit, ut iure suo Hemsterhusius interdum affirmaret, poetas eos, qui se totos ad Graecorum imitationem contulissent, graece imperitis valde placere non posse.[16]) Quod Hemsterhusius de poetis, id quodam modo mutatis mutandis, de tota literatura romana dici potest, quae abhinc cum graeca ita coniuncta est, ut sine alterius detrimento haud separari possint; nec quisquam latine doctus est, nisi in graecis literis feliciter sit versatus. Nam non solum poetae magnum studium in imitandis Graecis posuerunt, quatenus in verborum iuncturis et formulis loquendi inest, sed etiam priores prosae orationis scriptores, quod Ciceronis et maxime Sallustii et Livii ingenii monumenta abunde probant.[17]) Quare non video cur aegre feramus nos, quod Tacitus in sermonem latinum Graecismos transtulerit, quum omnes scriptores et poëtae et solutae orationis illus aevi Graecis exemplis formati sunt. Nimis vero indulserunt scriptores sermonis fuco artificioso et ostentationi rhetoricae. Lex quaedam erat praescripta scriptoribus laudem publicam obtinendi assensumque aequalium cupientibus, ut cura et delectu verborum ac sententiarum et peculiari argumentum tractandi disponendique ratione, seculo indulgerent. Quaesiverunt igitur novitatem oblectationemque orationis aut in vano verborum obsoletorum insolitorumque aucupio, aut in inusitata eorum significatione: adamarunt abruptum et concisum sermonis genus, adfectata sententiolarum acumina, antitheses et argutias saepe ridiculas; inaequalitatem orationis,

---

15) Horat. Epist. 2, 1, 56.

16) cf. Ruhnk. Elog. Hemsterhusii.

17) De imitatione Ciceronis vid. Quintil. Lib. 10, 1. de Sallustio, Poppo Prolegom. in Thucyd. Vol. I P. I d. 372 seq. de Livio Walchii Emendat. Livianae.

inversionem, transpositionem atque copulationem verborum, insolentiorem temporum modorumque usum, denique perpetuam constructionis in singulis membris variandae consuetudinem. Talem vero artem rhetoricam aevo Taciti, si quo alio, quam maxime excultam fuisse, ex scriptis poëtarum et prosae orationis praestantium auctorum, qui isto loquendi genere affectato usi sunt, probatur. Quid igitur mirum, quod ita omnis vis nervique orationis latinae debilitati sint. Inter hos vero scriptores et arte scribendi et argumenti tractatione ita fulget Tacitus, ut inter ignes luna minores; in quem vitia quoque sui aevi cadunt, sed nihilominus est, quo adducamur, ut contendamus, Tacitum etiam arte scribendi omnibus aequalibus superiorem se ostendisse, et diversis virtutibus summos Graecarum et Romanarum rerum auctores adaequasse. Maxime enim laudandus est, quo magis eius cogitandi sentiendique ratio iis, quibus vixit temporibus contraria erat. Ingenium eius tam rerum experientia, vel ex antiqua, vel sua memoria hausta, quae doctrina antiquiorum omnis generis scriptorum lectione comparata nutritum et a pueritia honestis deditum erat; inde factum est, ut Noster exoriretur Thucydidi similis. Quid igitur mirum, quod non hebetatum animi robur in scripta componenda dirigatur? Quum enim tempora prorsus mutata essent, commutavit etiam dicendi genus, et sublimi operam dedit. Cognoscas in Tacito — sunt verba Rothii — quid lingua aliqua vel postquam florem suum iam excessit, tamquam revirescens senili aetate valet; addidit enim sermoni, quem nimis iam elegantem et delicatum acceperat, robur ac nervos.“ Quapropter haud scio an multum fallamur, si contendamus, Tacitum id tentasse, ut in libris suis, illam antiquam gravitatem dignitatemque P. R. repraesentaret; certe nihil sibi indulsit, quod non ab aliis quoque Romanis vel scriptum est, vel scribi potuisset. Sic vero singulari studio Graecos et poetas Romanos imitatum esse Tacitum, declarat scribendi genus; itaque

Taciteae dictioni obiici possunt grandia vitia, quae Cicero in Thucydide reprehensus est, de quo scribit: Est Thucydides subtilis, acutus, brevis, sententiis magis quam verbis abundans;[18]) et alio loco: creber est sententiis, compressione rerum brevis, et ob eam rem interdum subobscurus;[19]) et Quintilianus, densus et brevis et semper instans sibi Thucydides.[20]) Sed iam accuratius examinemus, quibus in rebus insit illa gravitas sublimitasque elocutionis Taciteae.[21])

Primum vero posita est in vocabulorum et constructionum electione; plurima enim verba vel aliunde plane non nota vel tantum ab antiquissimis scriptoribus, inprimis poetis, habet in libris suis. Accedit deinde figurarum nonnullarum usus maxime antithesium et permutatio abstractorum et concretorum, qui figuratus sermo ex rhetorum scholis fluxit, ut in universum haud raro rhetoricis pigmentis orationem inflat; tertium, vocabulorum collocatio, in qua inprimis observatu dignae sunt, parentheses et anacolutha. Sequitur brevitas, quam Taciti quasi propriam tribuerunt critici et grammatici. Ea partim in omissione verborum ad sensum non plane necessariorum conspicitur, in sententiis nervosis vigoreque excellentibus, quibus copia argutarum dictionum est; partim in periodorum earumque membrorum connexione, saepe levi ob omissas copulas, unde Asyndeton; deinde in omissionibus verborum, quae ex antecedentibus suppleri possunt, unde Ellipsis; inprimis vero media quaedam membra desunt, et particulis tantum indicantur, huc pertinet

18) De Orat. Lib. 2, 12. 22 Orat. c. 11.

19) Brut. c. 7.

20) Instit. Orat. 10, 1. Poppo Proleg. in Thucyd. Vol. I P. I p. 279.

21) De sublimi genere dicendi Taciti scripsit Bergerus Witteb. 1727 quam dissertationem oculis contrectare mihi non licuit.

abrupta oratio et variata structura.[22]) Hoc modo Taciti loquendi genus breve est; amat breviores periodos, fugit verborum abundantiam, nisi sive perspicuitati sive gravitati consulit, denique omnia, quae sententia integra removeri possunt. Sed iam singulis exponamus, quod hac de re in universum diximus. Primum sublimitas Taciti posita est in retentis vocabulis et formis, quae tantum apud antiquos scriptores reperiuntur, et obsoletorum aut poeticorum nomine notantur, quamquam antiquae locutionis usus omnibus historicis studiose quaesitus est, ut aliis locis videbimus.

1) Huc pertinent multa propter singulas literas. Omnis pro omnes Ann. 1, 3 et alibi, quem scribendi usum iam Priscianus laudat, et semper ap. Sall. attamen Ann. 3, 25 ubi vulgo: cum omnis domus delatorum interpretationibus subverterentur, c. Codd. restituendum est, subverteretur — Occanere (occinere) Ann. 2, 81 vid. Sall. Fragm. I ap. Serv. ad Virgil. Georg. 2, 384 — Cludere (claudere) Germ. 34. Hist. 1, 33 qua de forma cf. Oudend. ad Suet. Oct. 22 — Plebes Ann. 2, 19. 3, 2 et alibi, ante Tacitum hac forma iam usi sunt, et poetae et solutae orationis scriptores, Ennius ap. Hieronym. in epist. Plebes in hoc Regi antistat loco. Sall. Cat. c. 34 Liv. 1, 20. 2, 21 Cic. de Leg. 3, 3 — Quotiens, Totiens Hist. 1, 25 sic optimi scriptores vid. Interpp. ad Ciceron. — Diu noctuque (die et nocte) cf. Corte ad Sall. Iug. c. 70 — Extumare (aestimare) Ann. 3, 17 et Ernest ad h. l. Tacitum vero hanc formam praetulisse inde colligas, quod fere ubique in Codd. scriptum est, extumare. Quare non dubito, quin ap. Tacitum, ut ap. Sallust. scribendum sit, Optumus, maxumus, cottide honos, labos, divorsus, volgus, condicio, adulescentulus, et alia, qua de

22) Vid. Lips. ad Ann. 12, 26.

re copiosius agemus in nostra edit. Historiarum. Rudd. T. 1 p. 172. — Tris Germ. 2 — Quaesitio (quaestio) Ann. 4, 45.

2) Terminationes et genera substantivorum. Huc pertinent flexiones IV declinationis in dandi casu in ū pro ūi. Exempla sunt. Irrisu Hist. 1, 7 ut nos scripsimus pro vulg. irrisui, quamquam Walchius ad Agric. 39 derisui defendit. Senatu Ann. 1, 10. Comitatu Hist. 2, 65 — Luxu Hist. 2, 71 Ann. 3, 30. 34 — Comeatu Ann. 12, 62. Decursu Ann. 3, 30. Cruciatu Ann. 15, 59 — Metu Ann. 15, 69. 12, 62 Silius dissimulando metu ad munia fori adgreditur, locus perperam intellectus ab interpr. qui metu pro ablativo acceperunt, nixi simili loco Hist. 3, 32 Antonius balineas abluendo cruore petiti, ubi meliores Edd. cruori legunt. De utroque loco accuratius tractabimus, ubi de usu gerundiorum ap. Tacitum agemus. Ceterum haec dativi forma iam ap. scriptores ante Tacitum exstat ex. g. Ciceron. usu p. usui ad Famil. 3, 71. 10, 24. Inprimis autem haec forma frequentata est Caesari atque Sallustio; observat enim Gellius N. A. 4, 16 Caesar, gravis auctor linguae latinae in libris Analogicis omnia istiusmodi sine ī litera dicenda cencenset.“ haud dubie haec forma e graeca forma dativi orta ost in vi vid. Maitaire de Dialect. p. 537 ed Stallb. Simili ratione vocalem literam ī casu gignendi et dandi V declinationis tollebant, et poetae et historici sic loquuti sunt vid. Corte ad Sall. Iug. c. 56 quare non dubito legendum esse Ann. 3, 34 multa duritie veterum melius et laetius mutata, ubi duritie pro duritiei accipias; est quoque Genitivus post adiectiva neutrius generis, ut multa et alia similia Tacito usitatior, ut infra videbimus — Vulgum pro vulgus Hist. 1, 78. Non. Marcel. p. 263 (ed. Lips. 1826) Vulgus in gener. mascul. Sisenna Hist. lib. 3 Virg. Aen. 2. 98 imperitum concitat vulgum. —

Diplomatibus (diplomatis) Hist. 2, 65 vid. Stallb. ad Ruddm. Inst. Gr. L. T. I p. 99 Obs. 38. — Veno dativus ab venus Ann. 14, 15 posita veno Ann. 13, 51 veno exercere aliquid. Errat Scheller. in Lex. v. venus, qui veno exercere aliquid, in sensu ablativi accepit; sic venui subiicere et habere ap. Apuleium Met. 8, et sic legendum esse censeo veno dedisse Ann. 4, 1 vulg. venum dedisse — Oracli forma syncopata Ann. 6, 21. Astus in nom sing. Ann. 2, 20 in nom. pl. Ann. 12, 45 — Deûm Ann. 15, 74 etiam ap. alios. His formis antiquis addere licet frequens usus substantivorum, quae a verbis derivativa orationi gravitatem et nervos comparant, qualis generis sunt substantiva in entum et entia exeuntia, magna ex parte abstractae significationis — Cognomentum Ann. 13, 39. Dehonestamentum An. 12, 14. Hist. 2, 87. 4, 13 (Sall. Vell. Pater.) Delinimentum, sic ubique ap. Tacit. nunquam delenimentum — Hortamentum Hist. 4, 18 (Sall. Liv. Iust.) media forma inter hortamentum et hortatio est Tacito Hortamen Germ. 7. Imitamentum Ann. 13, 14. 14, 57. 3, 57. Irritamentum Ann. 5, 45. 13, 46. Libramentum Hist. 3, 23 Machinamentum Hist. 4, 30. Ann. 12, 45. 15, 4 — Meditamentum Hist. 4, 25. Ann. 15, 35 — Oblectamentum Ann. 14, 16. 21. 52. 16, 18. Placamentum Hist. 1, 63. Ann. 15, 44. Spiramentum Agr. 44. Temperamentum Hist. 3, 38. Turbamentum (Sall.) Hist. 1, 23 — Velamentum Hist. 1, 66 — Audentia Ann. 15, 33 Germ. 34 hoc vocabulum insolentius videtur, quo tamen Plinius usus est Epist. 8, 4, 4 et revera nihil est hac in voce quod iure reprehendas Non. Marcell. p. 443 differunt, inquit, audentia et audacia, quod audentia fortitudinis sit, audacia temeritatis; itaque audentia ipsam actionem significat, audacia vero modum quendam audendi — Irreverentia

An. 3, 31. 13, 26. Hist. 3, 51. Prodigentia Ann. 6, 14. 13, 1. 15, 37. Reverentia Germ. 9 — Vaniloquentia (Plaut. Liv.) Ann. 3, 49. 6, 31 — Properantia Ann. 12, 20 Substantia Dialog. 8 — Inscientia ab insciens sicut negligentia a negligens Hist. 1, 52. 2, 77 ubi Mss. insutiam — His formis etiam addas frequentem usum substantivorum verbalium in us IV declinat. Missu Ann. 1, 60. 3, 21 Hist. 1, 9. Concessu Ann. 12, 44. Obiectu Hist. 3, 9. 5, 14. 4, 67. Germ. 8 in num. pl. Ann. 14, 8. Distinctu An. 6, 28. Dispositu Hist. 2, 5. Provisu Ann. 1, 27. 12, 6. 12. 15, 8. Hist. 2, 5. 4, 22. Advectu Hist. 4, 84. Permissu Ann. 2, 59. Adspectui Ann. 15, 12. Ostentui et Obtentui Ann. 1, 29. 12, 14. 15, 25. 64. Hist. 3, 35. Hist. 1, 49. 2, 14. Receptui Hist. 2, 26 fortasse etiam in his dativis Tacito restituenda est forma antiqua in ū vid. Zumpt Gr. § 30. Obtentum Ann. 12, 2. Relatu Germ. 3. Hist. 1, 30.

3) Terminationes adiectivorum et pronominum — Inermus vetere flexione pro inermis Ann. 1, 6. 51. Hist. 3, 64 qua forma iam usi sunt Cic. ad Div. 11, 12 Sall. Iug. 94. 107 Sisen. Hist. lib. 3 ap. Non. Marcel. p. 492. plerisque inermis in castra perfugiunt perfugiunt Virg. Aen. 12, 131. Hac ex analogia etiam flexit Tacitus, semermus Ann. 1, 68. 3, 45 — Repens, forma antiqua pro repentinus vid Gronov. ad Liv. 8, 29 — Ceterus in num. sing. cetero orbe agr. 17. Hist. 2, 97 cetero mari Ann. 2, 23 cf. Sall. Iug. 92. — Primori (primores) in acie versabantur Hist. 3, 21. — Celebris in gen. masc. Tacito frequens, vir Ann. 2, 88. pons Ann. 13, 47. Servilius Ann. 14, 19 sic Auct. ad Heren. 2, 4 et Liv. 27, 1 equestris — Invisior Ann. 6, 4. Hist. 1, 12 — Improvisior Ann. 2, 47 — Sollicitior Hist. 4, 58 (Cic. ad Famil. 10, 28) — Strenuissimus

Hist. 4, 69 — Piissimus Agric. 43 cf. Zumpt Gr. § 106 Ruddim. Inst. Gr. Lat. Tom. 1. p. 186. — Locupletium Ann. 6, 16, et sic fortasse formae genitiv. in ium civitatium, optimatium aliaeque Tacito restituendae sunt vid. Stallb. ad Rudd. Inst. Tom. I p. 95. Quis (quibus) Ann. 4, 16. 1, 57. 3, 30. 52. 53. 14, 43.

4) Terminationes verborum. Apisci pro adipisci Ann. 4, 1. 6, 3 et ita apud alios passim. Sisenna Hist. 4 et Accius et Acilius ap. Non. Marcel. p. 68 et 74. Lucret. 1, 449 Catull. 62, 145. Quin et ipsi Ciceroni ad Attic. 8, 14 eiusque aequali Servio Sulpitio ap. eund. Famil. 4, 5 vindicant Interpp. vid. Rudd. Inst. Gr. L. T. I p. 262 Obs. 20 — Ascire sic legendum pro asciscere Hist. 4, 24. 80 Ann. 1, 3, errat in hac forma scribendi Ernesti. Accersiri iubet. Hist. 1, 14 sic omnes Codd. et edit. ante Gronov. qui arcessi dedit; forma autem arcessire etiam Ciceron. aequalibus familiare est Sall. Iug. 64. Corn. Nepos Attic. 21 Liv. 3, 45 ubi Drakenb. videas. Plaut. Pseudol. 1, 3, 92, quare hoc loco, ut Hist. 1, 38 pro arcessit, arcersiit scripsi. — Atteritis opibus Hist. 1, 10 (supin. teritum) sic pro attritis, quemadmodum ex praestantissimo Cod. Vaticano Lipsius, ex Florent. Pichena, eosque sequuti Berneggerus, Gronov. edidere — Duint pro dent Ann. 4, 38 ut et Cic. dixit Orat. in Catil. 1, 9 pro Deiot. 7 — Deprenderem, adprensis Ann. 3, 53. 4, 8 ut e Mss. legimus pro vulg. deprehenderem et adprehensis Ann. 3, 53. 4, 8 prensam Ann. 1, 35 — Nequibat Ann. 1, 65. Hist. 1, 70 — Ambibat (ambiebat ut Hist. 5, 12 ambiebatur) Ann. 2, 19. Punior Ann. 14, 24 cuius participium haud raro passive accipitur cf. Ruddim. Instit. Gr. Lat. Tom. 1 p. 276 Circumstiterat Hist. 3, 31 quamquam Ann. 15, 15 circumsteterat. Occoepit ab antiquo Coepi Hist. 2, 16 ita in libris emendatoribus; ab occipio a capio occepi Lucret. Tacit. Ann. 1, 39 Aboluerat pro

aboleverat Hist. 2, 5 est mendum scripturae, in libris omnibus aboleverat — His formis addas, tueare Germ. 14 adsequare Ann. 6, 8 itemque forma tertia pluralis in ere pro unt. In his omnibus Tacitus quamquam nonnulla habet ab aliis scriptoribus aliter usurpata, tamen ab usu linguae latinae omnino non recedit. — Reperiuntur autem vocabula ap. Tacitum, quae poetis tantum et sublimiori loquendi generi convenire videantur, quapropter nomine poeticorum vel obsoletorum significantur; huius generis sunt: Ductare Hist. 2, 100. Ann. 4, 65 (Plaut. Terent. Virg. Aen. 3, 146. Sall. Catil. 11, 17 Iug. 38, 70. Defensare Ann. 6, 34. 13, 37. 45 Agric. 48 (Sall. et ex analogia ap. Liv. infensum agmen pro infesto.) Decorare Ann. 3, 52 cf. Walch. ad Agric. p 431 — Inquies, etis pro inquieto Ann. 1, 65 68. 74. 6, 8. 16, 14 vid. Ruhnk. ad Vell. Pater. 2, 68, 3 — Antistare (antecellere). Satias i. q. satietas Ann. 6, 28. Corte ad Sall. Inquietare victoriam Hist. 3, 84 (Sueton.).

[illegible] Ov. [illegible] 2, 5 est mendum scripturae, in libris [illegible] [illegible] — Hic [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] 14 [illegible] Aen. 6, 8 [illegible] [illegible] terrae [illegible] in [illegible] per [illegible]. In [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] ab aliis [illegible] [illegible] [illegible] tamen ab usu [illegible] latinae [illegible] non [illegible]. — [illegible] [illegible] ap. [illegible], quae [illegible] [illegible] et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] : [illegible] [illegible] 4, 100, [illegible] 4, 63 [illegible], Terent. Virg. Aen. 2, 140, Sil. [illegible] 14, 17 [illegible], [illegible] Aen. 6, 34 13, 37 46 [illegible] 48 [illegible] et ex [illegible] ap. Liv. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]) [illegible] Aen. 3, [illegible] [illegible], [illegible] Agric. p. 431 — [illegible] [illegible] [illegible] Aen. [illegible] 73 [illegible] 3, 8, 16, 14 [illegible] Ruhnk. ad Vell. [illegible] 2, 68, 2 — [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Aen. 6, 28. Cort. ad Sall. [illegible] [illegible] 2, 84 [illegible].)